



**Rev. Patr. Joannis Laurentii Berti, Ord. Eremit. S.
Augustini, Theologia Historico-Dogmatico-Scholastica,
Seu Libri, De Theologicis Disciplinis**

Berti, Giovanni Lorenzo

Monachii [u.a.], 1749

Caput VIII. Quam gravis sit mortalis peccati nequitia?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83665](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83665)

CAPUT VIII.

Quam gravis ſit mortalis peccati nequitia.

SUMMARIUM.

1. De peccato mortali.
2. An peccatum ſit finitum.
3. Dicitur peccatum eſſe infinita nequitia.

4. & 5. Probatur.
6. & 7. Objectiones ſolvuntur.

1.
De Peccato
mortali.

AVENIALI ad mortale peccatum ordo diſputationis progreditur. Eſt autem mortiferum peccatum, ſi à Spiritu ſancto inhabitante, & à charitate *habituali* diſtrahat animam, ita ut divinitatis conſortio privetur, & affecta ſpirituali turpitudine veniat in odium Creatoris, atque perpetuæ damnationis poenam commereatur. Quod evenire diximus quotieſcunque humana voluntas ita avertitur à ſummo bono, ut huic præferat creaturas, eiſque tali cupiditate adhæreat, ut vehementius appetat frui bonis commutabilibus, quam ipſo Deo, neque parata ſit potius mori, & amittere bona quæque creata, quam Divina gratia expoliari. De hoc itaque peccato inquirunt Scholaſtici Doctores, an adeo cenſendum ſit grave, ut dici debeat aliqua ratione infinitum.

2.
An pecca-
tum ſit fini-
tum.

Communior opinio eſt, peccatum eſſe finitum ſi accipiatur, vel pro ipſa phyſica actione, vel pro privatione gratiæ aliorumque ſpiritualium donorum, quibus juſtorum animæ ſunt exornatæ. Atque de actione eſt adeo manifeſtum, atque compertum, ut nulla exoriri poſſit dubitatio, cum à nulla finita cauſa poſſit infinitus actus prodire. Sed quantum ſpectat ad privationem, quidam ſunt, numero licet perpauca, quibus placet mortale peccatum cenſendum eſſe infinitum. Privat enim, inquit, Spiritu ſancto inhabitante, atque ſempiterna etiam beatitudine; ideoque aufert infinitum bonum, & infinitum infert nocumentum. Ratiocinatur hoc pacto eximius Theologus Leonardus Vanroy De peccatis cap. v. q. 2. & qui ejus veſtigia ubique præmit Aurelius Piette q. 6. Verum cum privatio ſit amiſſio boni, non quatenus in ſe eſt, ſed quatenus participiatur, & poſſidetur, eſt tam in gratia ſanctificante, quam in Sanctorum beatitudine haberi bonum infinitum concedamus, dicimus tamen utrumque coarctatione quadam participari, ideoque illorum privationem eſſe finitam. Quidquid tamen aſſerendum arbitreris, pro libitu aſſirma.

At ſi accipias peccatum in quantum eſt offenſa Dei, omnes Inſtituti noſtri, aliorumque Theologorum pars major, tenent peccatum nequitia eſſe infinita. Ad quod confirmandum diverſa proferunt argumenta, quamquam non omnia firma admodum, atque invicta. Primum eſt illud, quod peccator aufert à Deo rationem ultimi finis, eamque tribuit bono creato: quod perinde eſt, ac Dei loco habere rem viliffimam, & honorem ſoli Deo debitum impendere creaturis: hac autem injuria cogitari nequit atrocior. De quo argumento plura Habet de Vitiis, & peccatis cap. 6. q. 1. Sed huic argumentationi video plures reſpondere, quod per actum charitatis Deo omne creatum bonum poſtponitur, illique ratio finis ultimi tribuitur, neque tamen charitas dicitur infinita: & conſequenter infinita non erit culpa, quæ Deo aufert rationem ultimi finis, illique præfert quamlibet creaturam. Affinis eſt argumentatio quod peccatum, quantum in ſe eſt, Deum interimit, ut ſcribit Serm. 3. S. Bernardus: & conſimilis pariter reſponſio, quod eo ſenſu peccatum interimit, quo charitas vivificat; atque tam hanc vitam, quam illam mortem conſtat finitam eſſe, quoniam neque Deus ab homine infinita charitate diligitur, neque bonum creatum infinita cupiditate. Legito Joannem Baptiſtam Gonet diſp. ix. de Peccat. art. 6. Non diſſimile eſt tertium argumentum, quod per mortale peccatum crucifigitur Chriſtus in nobiſmetipſis, deſinit in nobis vivere per gratiam ſanctificantem: quod eadem ratione diluitur, propterea quod illiusmodi vita finita eſt, & alterius generis ab ea, quam habet Chriſtus redivivus, atque immortalis. Argumentatio quarta in hoc ſita eſt, quod mortale peccatum punitur æterna morte, ſummoque ſupplicio. Sed reſpondet cum Scotiſtis Nicolaus L'Herminier Tom. vi. pag. 539. atrociffimum quidem eſſe tormentum gehennæ, & perpetuo duraturum, quoniam peccatum damnatorum irremiſſibile eſt, eorumque

T 3

que

que voluntas inflexibilis & obdurata; cruciatus tamen ipsorum esse definitos, ac pro delictorum mensura minus, magisque vehementes.

4. **Probatur efficaciter.** Missis itaque præfatis argumentationibus, placet nobis trita illa, & pervulgata, quod qualitas offensæ commensuratur dignitati personæ, quæ afficitur injuriâ; amplitudo autem honoris à conditione & honestate illius, qui honorem præstat, æstimatur. Id vero liquet ex communi proloquio, *Honor est in honorante, offensio in persona offensæ*. Liquet etiam ex auctoritate, & opinione prudentum: qui injuriam illatam præclaro viro, eâ, quæ infertur alicui plebicolæ, putant insigniorem; honorem autem exhibitum à viro principe præferunt illi, quem recipiunt à populari. Cum ergo peccatum mortale sit offensio Dei, cujus majestas, dignitas, magnificentia, nec non in conferendo hominibus beneficia liberalitas infinita est; oportet ut ipsum peccatum induat rationem maximæ ac infinitæ iniquitatis. Quam argumentationem confirmant summi Dei imperium, æquitas, providentia, amor, atque cætera omnia attributa. Nam si gravissimum crimen est offendere parentem optimum, aut justissimum principem; quale flagitium putas injuriam facere Creatori qui nos produxit ex nihilo, & Domino, cui omni juris titulo universa subjiuntur?

5. **Probatur contra Scotum aliòsque.** Respondent Scotus, Vasquez, Suarez, L'Herminier, & alii quidam desumi gravitatem offensæ à dignitate personæ injuriis affectæ, non *simpliciter*, sed proportionem servata, & *secundum quid*, eoquod nulla res finita possit fieri particeps infinitatis. At ex idea, quam exhibent menti meæ subobscura illa vocabula, *simpliciter*, & *secundum quid*, in priori sententia confirmor. Perceptione mea aliquid esse infinitum *simpliciter*, nihil est aliud quam infinitum esse per se, sive naturâ suâ, nulla facta comparatione termini alicujus, vel objecti: & infinitum esse duntaxat *secundum quid* idem est, ac esse infinitum tantummodo *connotative*, sive comparate ad objectum, vel terminum. Dum vero concipio peccatum tanquam Dei optimi offensam, illud non considero in se, quatenus est opus aut figmentum humanum, sed illud specto *connotative*, atque in ordine ad infinitam Dei bonitatem. Si ergo dignitas personæ adaugetur *secundum quid* gravitatem peccati; erit peccatum in ratione offensæ infinitum, id est, spectatum ratione objecti, nempe ipsius Dei. Nec re-

pugnat humanam actionem in se finitam esse infinitam *connotative*, & comparate ad Deum; quoniam & actio Dei infinita & æterna, dicitur ratione *connotatorum*, sive creaturarum, suum terminum, ac tempus habere.

6. **Objectiones.** Opponunt: Si hæc ita sint, infinita erit visio beatorum spirituum, infinitus actus charitatis, infinita pœna privatio beatitudinis; quoniam hæc omnia connotant terminum infinitum. Rursus nullum erit discrimen inter veniale ac mortale peccatum, cum illud etiam sit injuria illata Deo, ideoque infinitum. Nullum ob eandem rationem discrimen erit inter peccata mortalia, quia fieri non potest, ut unum infinitum sit majus altero.

7. **Solutiones.** Sed respondemus ad primam objectionem, Adversarios nostros ideam visionis, ac privationis pervertere. Visio enim est intelligentis animæ actus; & actus percipitur comparate ad potentiam, sive ad modum quo elicitur, non respectu objecti in quod fertur. Tam vero operatio animæ, quam operationis modus finitatem habet, & ideo non satis apte dicimus animæ actionem infinitam. Econtra dicimus infinitam operationem Dei etiam in productione rei finitæ & creatæ, quoniam & potentia ipsius infinita est, & infinitus pariter modus rem ex nihilo producendi. Ergo in iis, quæ ad actiones pertinent, necesse non est objectorum attendere perfectionem. De privatione dictum supra, non esse percipiendam comparate ad bonum ut est in se, sed ad bonum, ut possidetur, vel potest possideri. Quod si velis etiam privationem peccato inductam appellare infinitam, parum, ut præmonui, mea interest. Actum charitatis, si species quatenus est opus voluntatis humanæ, esse finitum modo affirmavi. Si illum actum attendas, in quantum est Dei cultus, & honor, finitus adhuc est, quoniam honor, æstimatione prudentum, ratione personæ honorantis, non ratione objecti minuitur, vel augetur. Quamobrem in Christo ob Divinæ personæ dignitatem actus charitatis habuit infinitum meritum, quamvis physice fuerit finitus. Atque hoc exemplo magis liquet, posse unum actum esse physice finitum, infinitum vero moraliter. Peccatum veniale non destruit charitatem, non constituit absolute finem ultimum in creatura, neque procedit usque ad contemptum Dei. Offensio autem, quam dicimus commensurari cum dignitate personæ, est illa, per quam persona afficitur injuria, id est, quæ conjungitur cum

cum despicientia, & contemptione. Nam si quempiam offendas inconsiderate vel oscitanter, non tamen odio vel contumacia, offensior quidem es, at non contumeliose contemptor. Fateor itaque veniale peccatum esse Dei offensam, quia est Divinæ legis transgressio: nego esse offensam, quæ perveniat ad Dei contemptum, atque injuriam. In mortali peccato utique Deo inferitur injuria, & quia charitas penitus violatur, omne peccatum mortale est moraliter infinitum. Esse tamen unum peccatum altero gravius, recte adversus Stoicos, & Jovinianum Capite superiori affirmavimus: quod nunc, quomodo possit consistere, breviter explanabo. Cum una sit æquitatis regula summa & immutabilis, quam non semel dixi esse Deum ipsum, & participationem Divini luminis humanam mentem irradiantis, illa quidem prohibet omne malum, & bonum omne præscribit. Inter mala autem pejora censentur, quæ ab illa magis distant, atque inter bona meliora

sunt, quæ illi magis approximantur. Ita summa illa regula præcipit ut Deum, ac proximum diligas, & idololatria majus crimen est, quam Divini Nominis profanatio, homicidium gravius, quam convicium, quoniam dilectioni Dei magis opponitur cultus idolorum, quam irreverentia; & amor proximi plus homicidium, quam contumelia. Duo ergo peccata mortalia V. G. superstitio, ac perjurium, infinita sunt, neque unum est gravius altero comparate ad legem æternam, ut universaliter præscribit Dei cultum & dilectionem; nam utroque peccato Deum contemnis & afficis injuria. Est autem superstitutionis scelus gravius perjurio, comparate ad eandem æternam legem, ut in particulari prohibet utrumque crimen, quorum unum dilectioni Dei magis repugnat quam alterum; plus enim recedit ab ipso Deo, qui illum præfracte negat, quam qui ejus nomen pronuntiat temere & irreverenter.

CAPUT IX.

Nonnullæ Quæstiones circa Peccata breviter expediuntur.

SUMMARIUM.

1. Quomodo peccata specie differant.
2. Quomodo peccata numero differant.
3. Divisio peccatorum.
4. Aliud est peccatum ratione objecti.
5. Aliud est peccatum ratione impellentis causæ.
6. An detur pura omisso libera.
7. De imputatione peccati.
8. Probatur posse aliquem absque ætali san-

ctæ cogitatione vel excitatione peccatis subiacere.

9. Objectionibus prævenitur.
10. De peccato Philosophico.
11. Probatur peccatum Philosophicum esse fictitium.
12. Argumenta tria, quod possit dari peccatum philosophicum.
13. 14. & 15. Solutio Argumentorum.

1. Quomodo peccata specie differant,

CUM ad pertractandum de peccatis dissertationes nostræ processerint, occurrunt dubia quædam haud difficilia unico capite dissolvenda. Horum primum est, quomodo peccata specie, numeroque differant. Differre specie aliqui putant per ordinem ad objecta, aliqui per ordinem ad virtutes quibus opponuntur, alii denique per ordinem ad diversas regulas incommutabilis legis, de qua paulo supra. Potest hæc postrema sententia cum præcedentibus conciliari: etenim virtus est quidquid illius legis æquitati ac rationi conformatur, & in ipsa lege diversæ extant regulæ, in quantum præscribit erga diversa objecta ordinem rectum amoris, & dilectionis. Quare si velis peccata distinguere per ordinem ad objecta; non hæc accipies ut sunt res aliqua, sive, ut

dicimus in Scholis, *materialiter*, sed in quantum diversa ratione possunt diligi, vel odio haberi, violatis æternæ legis præscriptionibus. Rem ita declaro: deficit perverso amore humana voluntas, dum flectitur *contra ordinem naturarum ab eo quod summe est, ad id quod minus est*, inquit S. Doctor lib. XII. de Civ. Dei cap. 8. id est, à bono incommutabili ad fluxa & commutabilia. His præscripto æternæ legis *frui* non debemus, sed *uti*. Eligas nunc bonum aliquod commutabile, E. Gr. aurum. Si auro sine ultimo adhæreas, id est, propter illud des operam literis, aut exercitamentis aliis, *frueris* auro, & primam præceptionem sempiternæ legis violasti. Peccatum istud dicimus *avaritiam*. Fieri potest ut non fruaris auro, sed utaris: uti autem debes, ut nosti,